HOMILIARIUM
Salzburg (?), 12. Jh. Seite 145r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tinuo subiecit. Quia uero de mundo non estis. sed ego elegi uos de mundo. ppterea odit vos
mundus. Ergo et ipsi, de mundo inde erant. unde ut non essent electi sunt inde. non meritis suis quorum nulla
precesserant opera bona. non natura que tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice
uitiata. sed gratuita. hoc est uera gratia. Qui enim de mundo mundum elegit. fecit quod
eligeret. non inuenit. Mementote inquit sermonis mei. quem ego dixi uobis. non est xii.
seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt. et uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt.
et uestrum seruabunt. Dicendo autem non est seruus maior domino suo. mne euidenter ostendit quem
admodum intellegere debeamus quod superius dixerat. iam non dicam uos seruos. Ecce enim
seruos esse dicit. Nam quid est aliud. non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt. et uos
persequentur. Manifestum est igitur illum seruum qui non manet in domo in eternum illum pertinentem ad
timorem quem foras caritas mittit esse intellegendum. ubi dictum est. iam non dico uos seruos. hic
autem ubi dicitur non est seruus maior domino suo. si me persecuti sunt et uos persequentur. illum significari ser
uum pertinentem ad timorem castum. qui permanet in seculum seculi. hic enim seruus est auditurus. euge
bone serue. intra in gaudium domini tui. Sed hec omnia inquit facient uobis propter nomen meum. T
quia nesciunt eum qui misit me. Que omnia faciunt. nisi que dixit. odio habebunt scilicet
et persequentur. sermonemque contemnunt. quomodo si sermonem non seruarent eorum. nec tamen odissent
eos. neque persequerentur. et etiam si odissent. nec tamen persequerentur. non omnia facerent. Hec autem omnia
facient uobis inquit propter nomen meum. Quid est aliud dicere. hec omnia facient uobis propter nomen
meum. quam me in uobis odio habebunt. me in uobis persequentur. et sermonem uestrum quia mensem
ideo non seruabunt. Hec enim omnia facient uobis propter nomen non uestrum. sed meum. Quomodo igitur
erit uerum. hec omnia facient uobis propter nomen meum. cum illi non propter nomen xpi faciant id est
propter iusticiam. sed propter iniquitatem suam. Hec questio ita soluitur. si eo modo intellegamus dic
tum. hec omnia facient uobis propter nomen meum. ut totum referatur ad iustos. tanquam dictum sit
hec omnia patiemini ab eis propter nomen meum. ut hoc sit facient uobis. quod est patiemini